



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 5. Cur Spiritus sanctus non sit Filius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Cap. VI. An Spiritus sanctus sit Donum.

Explicatum est. Proprie igitur est Deus ex æternitate donum respectu creaturarum rationalium, quia quantum est ex se, donabilis eis semper fuit, donum autem (vt notauit August. 5. de Trinit. capit. 15. & ex illo D. Thom. supra) non dicit, quod actu donetur, sed quod sit aptum donari: & ideo, licet Deus in tempore donetur, ex æternitate est donum. Quod maxime habet (vt Caietanus ex D. Thom. supra notauit) quatenus supernaturaliter communicabilis est, quia donum est supra facultatem eius cui donatur, & ex libera omnino voluntate confertur.

Spiritu sancto per proprietatem suam, vt recte docet D. Thom. in 1. d. 18. art. 4. & August. 5. de Trinit. c. 11. Neque hoc vllus Theologorum negat, nec negare potest, quia illa est habitudo originis. Et ideo licet nomen doni hoc modo personale sit, non multiplicat ex hac parte proprietates Spiritus sancti, quia eadem omnino relatio importatur per hoc nomen, licet sub diuersa consideratione. Si autem in dono consideretur ratio donandi, quæ est amor, hæc conuenit Spiritui sancto formaliter per essentiam, non secundum se, & nude spectatam, sed vt acceptam per voluntatem. Atque ita connotat etiam relationem, talem, vt conditionem necessariam ad habendum illum amorem ex vi processionis. Quod eadem ratione explicandum est, quæ similem questionem de Verbo terminabimus. Et ita etiam constat, quomodo Spiritus sanctus dicat ad creaturas relationem donabilis, quæ rationis est, & ideo non multiplicatur proprietates. Et per hanc relationem ad creaturas explicatur illa, quam D. Thom. posuit, & explicuimus, in fine capituli præcedentis.

CAPVT V.

Cur Spiritus sancti processio non sit generatio, nec eius proprietas filiationis.

Secundo, respondendo simul ad questionem, colloquio ex dictis, donum tribus modis de Deo dici posse. Primo essentialiter, seu absolute. Secundo notionaliter notione communi, saltem secundum rationem. Tertio proprie, ac personaliter. Primo ergo modo dicitur de omnibus personis: secundo modo de Filio, & Spiritu sancto: tertio vero modo de solo Spiritu sancto. Explico singula breuiter, nam imprimis ratio doni quoad rem donabilem, & quoad respectum rationis ad eum, cui donari potest, communis est omnibus personis, nam ipsa diuinitas est, quæ primario communicatur per gratiam sanctificantem, vel per gloriam: consequenter autem omnes personæ. Quoad respectum vero ad eum, qui donare potest, aduertit D. Thom. dicto artic. 1. ad 1. aliquando solum importare nomine doni respectum identitatis, nam potest aliquis donare seipsum, est ergo donabilis à se, quia est idem sibi, & quasi sui iuris: hoc ergo modo donum commune est omnibus personis iuxta illud, *Ad eum venimus*. Sic ergo etiã Pater donat se ipsum, & quamuis intelligeremus in Deo esse vnã tantum personam, posset Deus esse donum. Aliquando vero donum dicit respectum ad donantem re ipsa distinctum, quia vel est possessio eius, vel habet aliquam aliam sufficientem habitudinem ad ipsum. At vero intra Deum vna persona dicitur esse alterius solum ratione originis, propter hunc ergo respectum persona procedens donari potest ab alia, à qua procedit, sicut potest ab alia mitti, vt infra dicemus. Hinc ergo nascitur secunda significatio, quam notionalem vocamus, quia originem passiuam denotat in ipso dono, & ideo non potest Patri conuenire, est autem communis Filio, & Spiritui sancto non secundum rem, quia non denotat in illis aliquam vnã relationem realem, sed secundum rationem, quia in hoc conueniunt, quod vtique est alterius per originem.

Hactenus Spiritus sancti processionem per eius attributa positina declarauimus, nunc per duas negationes, quæ illi etiam attribuuntur, explicandus amplius à nobis est eius processionis modus, atque proprietas, nimirum, per hoc, quod nec Filius est, nec, imago Patris, & Filij esse censetur. De priori dicemus in hoc capite, de posteriori vero agimus in sequenti. Est ergo fidei dogma, Spiritum sanctum non esse Filium, non solum in hoc sensu, quod est persona realiter distincta à secunda persona Filij, sed etiam quia secundum suam propriam, & distinctam rationem non est Filius, neque in Trinitate sunt duo Filij, sed vnicus tantum. Et ita hæc veritas fundatur in primis in hoc, quod Filius Dei non solum est Filius, sed etiam est vnicus naturalis Filius Dei, neque solum est genitus, sed etiam vnigenitus, iuxta illud Ioann. 1. *Primum gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, & iterum, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narrauit, & c. 3. Sic Deus di exiti mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 4. *Filium suum vnigenitum misit.*

Ad explicandam autem tertiam significationem, quam præcipue inquirimus, addendum est, primam rationem donandi aliquid liberali illa, & perfecta donatione, de qua loquimur, esse amorem, quia hæc donatio solum est ad beneficiendum alteri ex voluntate libera. Quando ergo res aliqua non solum donabilis est, sed etiam intrinsece includit amorem, singulari modo includit rationem doni. Hoc ergo modo conuenit Spiritui sancto ex vi suæ processionis: vt donum sit, quia non solum procedit vt res, quæ donari potest à producete, quod etiam habet Filius, sed etiam procedit vt amor, & ideo intrinsece, ac formaliter includit rationem donandi. Nec refert, quod Pater etiam, & Filius includant in suo esse amorem: quia Pater includit sine processione, Filius non ex vi processionis formaliter, sed concomitantem, vt supra explicatum est: at vero Spiritus sanctus includit formalissime, & ex vi processionis suæ. Propterea ergo merito dixit Augustinus, Spiritum sanctum procedere, vt datum non actu, sed aptitudine, quod est procedere vt donum. In hoc ergo sensu hæc vox personalis, & propria est.

Dices. Aliquando vocatur etiam primogenitus, ad Col. 1. *Primogenitus omnis creatura, interdum etiam ille, qui fratres habet, si primogenitus sit, vocatur in scriptura vnigenitus, vt legimus de Salomone Proverb. 4. Respondeo ad priorem partem cum Ambrosio 1. de fide, cap. 4. cum Verbum dicitur primogenitum, genitum dici propter consubstantialitatem primo, propter æternitatem. Voluit enim Ambrosius vocem illam explicare de Christo, etiam vt Deus est. Communior tamen expositio est, Christum vocari vnigenitum vt Deum, primogenitum vt hominem. Sic Cyril. Alexan. in Epist. ad Ioannem Antiochenum habetur in Concil. Ephes. rom. 5. cap. 9. Altera vero locutio locum habet in homine, vel quia primogenitus fuit, pro aliquo tempore vnigenitus fuit, vel per metaphoram ad exaggerandum eximium, & singularem amorem parentum erga illum. Neutra autem ratio locum habet in Verbo diuino, quia & æternitate, & dilectione illi est æqualis Spiritus sanctus. Dicitur ergo vnigenitus cum omni proprietate. Et ideo in Symbolis, & Concilijs per expressam negationem hæc veritas explicatur, nam in Symbolo Apostolorum dicitur de Filio genitus, non factus, in Symbolo autè Athanasij dicitur de Spiritu sancto, non factus, nec genitus, sed procedens. Et idem habetur in Concil. Toletan. 1. & 11. & in alijs supra citatis libro 8. capit. 2. docentibus, Spiritum sanctum nec ingenitum, nec genitum esse. Et in eadem veritate*

Ex quibus tandem facile intelligitur, an hæc doni appellatio conueniat Spiritui sancto ratione suæ proprietatis, vel ratione essentis. Quod alij multi disputant. Resolutio tamen est, ratione vtriusque simul aliquo modo conuenire. Nam si in dono confideretur respectus ad donantem, manifeste conuenit

veritate asserenda omnes Patres conveniunt. Solum possunt esse æquiva verba Isidori libro 1. de summo bono ca. 3. vbi dicit *Filium esse tertiam personam Trinitatis*. Sed non numerat illas secundum ordinem originis, sed solum absolutam, & voluntaria numeratione, ac si diceret, esse vnam ex tribus personis. Quædam etiam verba Basilij lib. 5. contra Eunomium ca. 12. obscuriora sunt, illa vero in sequentibus perspicua reddemus.

3.
Difficultas
questionis
aperitur.

Huius autem mysterij tota difficultas posita est in reddenda ratione cur potius Verbum, quam Spiritus sanctus Filius sit. Et ratio difficultatis est, quia Filius in communi describi potest, quod sit *persona vivens procedens à vivente conuncto, in similitudinem naturæ*, vt libr. 9. capite primo traditum à nobis est, tota autem hæc ratio in Spiritum sanctum convenit, ergo. Quæ difficultas adeo insolubilis visa est multis Patribus, & nonnullis Scholasticis, vt nullam rationem putauerint in hoc negotio esse inquirendam, sed simpliciter credendum. Vnde Damascen. libr. 1. de fide, capite 10. fatetur se rationem ignorare. Athanasius dialogo 3. contra Anomæos dicit esse *mysterium inuestigabile*. Idem fere Basilijus homilia 2. contra Sabellianos & Anomæos, Nazianzenus oratione 5. de Theologia, alias 37. Idem Augustinus libro 3. contra Maximum capit. 14. & Acacius in Epistol. ad Cyrillum, quæ est 15. inter Epistol. Cyrilli. Imo Anastasius Synaita libro de rectis fidei dogmatibus, dicit *non est tutum hoc inquirere, quod soli Trinitati cognitum est*. Bernardus vero sermone 1. Pentecostes, huic mysterio accommodat illud, *Posui tenebras latibulum suum*. Et eodem modo procedit Magister in 1. distinctione decimæ materia, quem Maior, & Gabriel imitantur. Nec multum discrepat Scotus, dixit enim processiones Verbi, & Spiritus sancti esse primo diuersas, & se ipsis ita differre, vt vna sit generatio, & non alia, & ideo esse aliam rationem querendam. Nihilominus tamen iidem Patres tentarunt aliquam rationem huius mysterij reddere: nam licet non sit curiose scrutandum, neque exilis faciat, aliqua vero, quæ pro magnitudine mysterij & capacitate nostra congrua sit, pie ac merito inquire potest.

4.
Variationes
cur Spiritus
sanctus
non sit Filius.

Ratio D.
Thomæ
ponitur.

Asseruntur autem rationes multæ tam à sanctis Patribus in locis indicatis, & referendis, quam à Scholasticis in 1. dist. 12. quas omnes proponere, & examinare prolixum esset, & parè utilitatis asseret, breuiter tamen eas attingam, quæ alicuius momenti sunt, quia ad eam rationem sunt reuocandæ, quam explicabo, vt in fine illius dicam, alias autem referabo in sequenti puncto de imagine. Ratio ergo communior in hac materia est, quam tradit D. Thom. dicta questione 27. articulo 4. & 4. contra gentes cap. 11. & 19. vbi dicit, Verbum esse Filium, quia procedit in similitudine naturæ secundum rationem suæ processio- nis, Spiritum sanctum autem non esse Filium, quia non procedit secundum rationem similitudinis, quia procedit per modum amoris. Quam rationem Capreolus, Caietanus, Ferrara, & ceteri Thomistæ intellexerunt de similitudine, quæ consistit in vnitæte naturæ, & reuera aperta est mens D. Thom. ne æquiuoce procedat. Sumit enim, de ratione generationis esse, vt sit secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei, subsumit autem Verbum habere hanc similitudinem ratione processio- nis suæ, non autem Spiritum sanctum, ergo loquitur de prædicta similitudine.

5.

Ad argumentum autem, quia Spiritus sanctus etiam habet hanc similitudinem, respondent prædicti auctores, non habere ex vi processio- nis, sicut Verbum: ita enim exponunt illud Verbum D. Thom. secundum rationem similitudinis. Ratio vero eorum est, quia processio intellectus per se, ac formaliter tendit ad assimilationem, & ideo perfectissimus intellectus vt sua profert perfectam similitudinem. Voluntas

autem non operatur per modum assimilationis, sed per modum vniõis, aut inclinationis, & ideo etiam perfectissima voluntas non profert similitudinem vi suæ, quasi formali, sed tantum quasi materiali ex eo, quod quidquid intra Deum producitur, Deus necessario esse debet.

Contra hunc discursum multa obiecta sunt ab Antiquioribus quæ colligit & vrget, quantum potest Torres questione 27. articulo 2. in 4. parte commentarij. Quæ omnia eo tendunt, vt probent etiam Spiritum sanctum procedere similem in natura Patri, & Filio ex vi processio- nis suæ. Quod ipse quidem au- det expresse concedere, non tamen soluit argumenta, nec defendit rationem, sed aliam adducit. Aliqui vero Moderni illis, & alijs argumentis conuicti, fatentur Spiritum sanctum procedere similem in natura ex vi processio- nis. Dicunt tamen non esse Filium, quia non procedit per modum imaginis, quæ fuit etiam ratio Torrensis. Cur autem Verbum sit imago, & non Spiritus sanctus solum explicant hac ratione, quia Verbum procedit ad representandum, & non Spiritus sanctus, quæ à nobis in sequenti capite examinanda est. Referunt vero pro hac sententia Nazianz. orat. 36. circa finem, & Athanas. in epist. de decret. Nicen. synod. circa medium, August. cap. vltim. libr. vltimo de Trinit. Anselm. in Monolog. cap. 53. & Richard. de sanct. Vict. lib. 6. de Trinit. cap. 19. & sequentibus. Qui omnes dicunt, Verbum esse Filium, quia est imago, quod non habet Spiritus sanctus.

Veruntamen omnes hi Patres non distinguunt quoad hoc inter imaginem, & similitudinem habitam ex processio- ne. Vnde Anselm. in eodem discursu ita vitur his terminis, vt dicat, *Verbum esse filium, quia statim præ se fert rationem imaginis, Spiritum sanctum autem non esse Filium, quia non ita præ se fert similitudinem*. Quosensu etiam Diuus Thomas 4. contra gentes, capite vltimo, vitur attributo imaginis ad declarandam filiationem Verbi, probat autem esse imaginem, quia procedit secundum rationem similitudinis. Quæ hæc ratio, quatenus datur vt diuersa, à ratione D. Thom. intellecta eo modo, quo à Thomistis veteribus explicata est, & prout distinguit inter hæc duo, scilicet, *producere vt imaginem, & producere vt simile ex vi processio- nis*, neque habet fundamentum in Patribus, nec intelligi satis potest, vt latius capite sequenti ostendendum. Et præterea in interpretario illa habet incommoda. Primo enim, ratio sic exposita sumitur ex re minus certa, certius enim est, Spiritum sanctum non esse Filium, quam non esse imaginem. Secundo sumitur ex re æque obscura, de qua similis ratio positatur. Tertio sumpta imagine, quatenus actu representat (vt ab eis sumitur) non ideo Filius est Filius, quia est imago, sed è conuerso, quia Filius est, ideo est imago. Quarto August. lib. Quæstionum in Deutero. quæst. 4. sic inquit, *Si Patri Filius similis sit, etiam imago recte dicitur*: impossibile ergo est, aliquid habere totam similitudinem ad Filium sufficientem ex vi processio- nis, & carere ratione imaginis, quæ vel in Filio necessaria est, vel processio- nem eius comitatur. Constat autem in Filio quocumque vt filius sit, solam similitudinem specificæ naturæ vniuersis particulari, ergo qui hanc recipit ex vi processio- nis, consequenter habet, quidquid necessarium est ad rationem imaginis, quod latius capite sequenti ostendendum. Vnde etiam constabit, multa supponi in hac ratione, quæ falsa sunt, scilicet, de ratione imaginis esse actu representare, & quod in diuinis Filius in re ipsa aliquid representet, quod non representat Spiritus sanctus, & quod similitudo imaginis in creatura non consistat in vnitæte naturali. Denique argumenta, quæ à dictis auctoribus sunt, non tam rationem superiorum, quam mysterium ipsum impugnant, & consequenter contra eorum rationem conuerti possunt, vt videbimus.

Vis ergo argumentorum est, quia Spiritus sanctus procedit

Objectiones contra Thomam

procedit Deus ex vi suae processio- nis, ergo similis in natura diuina, sicut qui procedit homo, ex vi processio- nis procedit necessario similis in natura huma- na. Probatur antecedens primo, quia quidquid est Deus per se, ac formaliter est Deus, nam in Deo nihil per accidens, nihil materialiter inueniri potest, ergo quidquid procedit Deus, per se ac formaliter procedit Deus, ergo ex vi processio- nis. Secundo, quia Spiritus sanctus per se procedit ex amore diuino, & amor diuinus per se est substantialis, & increatus, nam haec non sunt differentiae accidentales rerum, ergo Spiritus sanctus per se procedit substantia increata, ergo Deus, & consubstantialis principio suo, ergo perfectissime similis in natura sua. Tertio, quia nulla est maior ratio, ob quam Verbum procedat simile ex vi processio- nis, quam quia intelligere, per quod procedit, est ipsum esse Dei, vt D. Thom. sumptis, sed etiam velle, per quod procedit Spiritus sanctus est ipsum esse Dei, ergo.

Objectiones contra Thomam

Haec rationes, vt dixi, tam Diui Thomae discursum, quam ipsum mysterium fidei impugnant, & ideo ab omnibus Catholicis soluentur sunt. Declaratur asumptum, nam si quid efficerent, consequenter probarent, quidquid ex vi processio- nis communicatur vni personae, communicari alteri, & e conuerso hoc autem repugnat mysterio. Maior patet primo, quia iuxta illas rationes vtrique personae productae communicatur per se primo, & ex vi suae processio- nis essentia diuina, vt talis est, ergo tam sapientia, amor, intelligere, velle, ac denique alia attributa aequaliter communicantur vtrique personae, & iuxta dictam sententiam aequae formaliter ex vi processio- nis. Patet consequentia primo, quia, cui communicatur aliqua natura per se, ac formaliter, quatenus talis essentia est, communicantur omnes proprietates, vel attributa eodem modo, & ordine, quo naturam illam comitantur, seu illi conueniunt. Secundo, quia Spiritus sanctus dicitur procedere aequae similis ex vi processio- nis, ac Filius, ergo ex vi eiusdem processio- nis procedit aequae similis in sapientia, intelligentia, & quocumque representatione intellectuali: nam perfecta similitudo haec omnia includit, & praesertim quia Spiritus sanctus dicitur procedere vi sua similis in esse Dei, ergo in intelligere, quia hoc est formaliter esse Dei. Minor autem probatur, quia tunc nullum discrimen assignari potest inter has personas in formalitate terminandi processiones suas. Vnde nec intelligi potest, cur vna potius dicatur Verbum, quam alia, si ex vi processio- nis eque recipit ipsum intelligere producentis, & consequenter nec ratio imaginis, nec representatio intellectualis potest Filio magis tribui, quam Spiritui sancto.

Objectiones contra Thomam

Quod vero aliqui dicunt, conuenire Filio, quod representet ratione sua proprietatis personalis, si intelligant formaliter conuenire per ipsam relationem, tanquam per formam, quae sit ratio representandi, falsum est, & supra satis impugnatum, quia sicut relatio non est ratio intelligendi, ita neque est ratio intellectualiter representandi. Si autem intelligant conuenire ratione proprietatis, vt conditionis necessariae ad habendam illam representationem tali modo, hoc repugnat eorum dictis. Nam ad hoc necessarium est vt Filius ex vi processio- nis suae habeat essentiam, vt representatiuam, seu vt rationem representandi, non vero Spiritus sanctus, cuius oppositum sequitur ex illis rationibus, vt ostendi. Necessario ergo in omni opinione concedendum est, aliquid habere vnam personam ex vi processio- nis suae, quod non habet alia, non solum quantum ad relationes, sed etiam quantum ad ea, quae habent ratione essentiae, imo hinc pronenit, quod relationes ipsae diuersae rationis sint.

Objectiones contra Thomam

Duo ergo nobis declaranda supersunt, quibus, vt existimo, difficultates omnes dirimentur. Vnum est, quid sit illud, quod vnaquaque persona habet ex vi

processio- nis, & quid significet hoc ipsum ex vi processio- nis. Alterum, quomodo hinc sequatur, vnam personam esse Filium, & non aliam. Circa primum aduerto, quamuis diuina attributa in re non distinguantur actu, tamen formaliter inueniri in Deo, & habere eminentem, seu virtuales distinctionem, quae satis est, vt vnum possit esse principium quo vnius actionis, & non aliud formaliter loquendo, quamuis realiter vnum in altero includatur. Quomodo in actionibus ad extra dicimus, Deum cum subleuat miseriam, operari per misericordiam, non per iustitiam, & e conuerso, quando punit, operari per iustitiam, non per misericordiam, nisi quatenus aliquid ex poena remittit. In processio- nibus item ad intra est hoc certissimum, nam prima persona producit secundam intelligendo, non autem amando. & e conuerso producit tertiam amando, non vero intelligendo, vt in primo libro probatum est. Sic ergo ex parte termini producti ad intra potest idem inueniri. Potest ergo terminus vnius processio- nis formaliter produci sub ratione vnius attributi, & non alterius, quia non est maior repugnancia ex parte terminorum, quam principiorum quo, & alioqui est eadem ratio, seu proportio, nam illud, quod est ex parte producentis principium formale produ- cendi, est etiam forma per se, & formaliter communi- cata termino producto, vt ex Diuo Thoma sumitur quaestione 41. articulo 5. & in libro 7. late diximus.

Primus princip.

Habere ergo aliquid ex vi processio- nis, est habere illud tanquam formale terminum, seu ratio- nem, sub qua talis processio ad illum tendit, & hoc modo habet Filius sapientiam, & intelligentiam Patris, ex vi processio- nis suae, vt satis ex supra dictis constat: Spiritus sanctus autem habet dilectionem, seu charitatem Patris, & Filij. Quia vero in vno attributo diuino reliqua includuntur, consequenter vterque eorum habet reliqua omnia, & hac ratione dicuntur habere illa, quasi materialiter, non quia habeant tanquam ex materia aliqua ex qua, vel circa quam, sed ad eum modum, quo obiectum dicitur materialiter comparari ad rationem, sub qua attingitur. Et eodem modo id, quod datur ex vi processio- nis, dicitur per se communicari, non quia alia communicentur per accidens, nam etiam dantur per se per se rei (vt sic dicam) sed quia non ita formaliter communicantur. Quod etiam exemplo sumpto ex creaturis declarari potest, nam eadem entitas formae, v.g. potest fieri per generationem, & per creationem sub diuersa formalitate, nam illae sunt actiones diuersae, & ad illas consequuntur in re producta diuersae relationes: & tamen entitas facta eadem est. Distinguuntur ergo actiones, quia vna dicitur attingere ens in quantum ens, alia in quantum tale ens, & ideo magis per se fit per vnam illarum actionum ipsa ratio entis, quam per aliam, quamuis in re non distinguatur ratio entis, & talis entis. Quid ergo mirum, quod in Diuinis processio- nibus intelligi possit distinctio similis, quasi formalis, ex formalitate terminorum.

12. Quid sit haec, habet aliquid ex vi processio- nis.

Et haec sufficiunt de primo puncto, per quae duo priora argumenta soluta manent. Fatemur enim per vtramque processio- nem per se communicari totam naturam diuinam, & omnia attributa eius, considerata re ipsa, quae communicatur, non tamen communi- cari aequae formaliter secundum omnem rationem suam, & hoc modo non omnem terminum sibi productum habere similitudinem cum producente, quoad omnia ex vi processio- nis. Neque hoc imperfectionem inuoluit, aut minuit in aliquo imperfectionem alicuius personae productae. Si enim quilibet earum in re habet per se, & essentialiter perfectio- nem omnium attributorum, quid interest ad illius perfectio- nem quod secundum formalitatem huius, vel illius attributi illam habeat? Adde, quod isti

13. Soluuntur duo prima argumenta.

isti auctores dicunt essentiam diuinam non esse de essentia attributorum, vel relationum, & tamen non negabatur, quodlibet attributum esse in re ipsa ens summe perfectum, & verum Deum. Ergo à fortiori fateri debent non esse contra perfectionem personæ accipere diuinitatem sub hac, vel illa formalitate processionis.

14. *Solutio tertij argumenti.* Circa secundum punctum communis modus explicandi hanc rationem ex illo principio est, quem supra retuli ex Caetano, & alijs, quem ipsi late explicant, & defendunt, & ideo pauca de illo dicam. Omnes enim fere obiectiones, quæ multis verbis proponuntur à Torres & alijs, reducuntur ad tertiam obiectionem supra propositam, quæ mihi haud magis ponderis videtur. Quia non est de ratione illius productionis, quæ est vera generatio, vt secundum quamcumque rationem suam communem, & analogam habeat completam rationem generationis, vel quod producat simile in substantia, nam etiam in generatione creata hoc non inuenitur, vt patebit facile, si concipiatur secundum aliquam rationem communem substantiæ, & accidentis. Satis ergo est, quod productio Verbi secundum communem rationem intellectiōis tendat formaliter ad similitudinem, vt in particulari talis intellectio formaliter, vt sic dicam, contracta intra latitudinem intellectiōis, vim habeat perfecte assimilandi, & consequenter attingat veram rationem generationis.

15. *Instantia.*

Responsio.

Nonnullam vero ingerit difficultatem, quod videtur in eo discursu quædam æquiuocatio committi, transeundo à similitudine intentionali, quam per se tantum requirit intellectio ad similitudinem naturalem, quam postulat generatio. Dicitur vero potest, intellectiōem ex genere suo cedere ad assimilandum, ideoque perfectissimam similitudinem postulare, vt perfectissima sit. Quod vero frequentius fiat per solam representationem intentionalem, esse aut ex imperfectiōe intelligentiæ, aut ex imperfectiōe rei intellectæ. Quando vero tam obiectum intelligibile, quam intelligens perfectissima sunt, tunc perici per naturalem, & perfectam similitudinem. Vt etiam dici potest, in Deo, seu Verbo diuino representationem intellectualem esse per proprium esse substantiale, & ideo productionem illam, dum formaliter tendit ad similitudinem representationis, etiam necessario tendere ad similitudinem naturalem. Hæc ergo videntur sufficere ad probabilitatem illius rationis, quamuis intellectum non conuincant, hoc enim in tanto mysterio spectandum non est. Et plura de illa relatione dicemus capite sequenti.

16. *Alijs modis explicandi rationem.*

Occurrit tamen alius modus colligendi rationem hanc ex illo principio, quod Verbum producit ex vi intellectiōis paternæ, vt sic, & non Spiritus sanctus. Nam inde in primis infero, communicari Verbo ex vi processionis suæ diuinam essentiam, vt primario constitutam in esse talis essentiæ, & naturæ, Spiritui sancto autem non ita communicari ex vi processionis, sed quatenus per identitatem in amore includitur. Quod sine dubio satis est, vt prior productio habeat veram rationem generationis, non autem posterior, quia generatio est formalis communicatio naturæ, vt natura est, nam & Aristoteles naturalissimum opus viuientis generationem vocauit. Prior ratio quoad priorem partem facile declaratur, quia diuina natura formalissime, & essentialiter est natura viuens, ergo eodem modo est essentialiter viuens in determinato gradu vitæ, & perfectissimo, ac subinde in gradu intellectuali. Omnis enim natura creata in tali gradu constituta secundum differentiam intellectualem formaliter constituitur, vel specificatur, in Deo autem licet non sit species, tamen eo modo, quo in illo concipimus constitutionem essentialem, nulla potest esse prior, nec magis formalis, vt in primo tractatu explicatum reliquimus. Est autem differentia inter naturam diuinam, & creaturas in-

tellecualis, quod illa est talis per essentiam, & tantum purus actus, alia per participationem. Vnde fit, vt natura creata dicatur intellectualem, quasi per habitudinem ad actualem intellectiōem, quia est capax illius, & radicale principium eius. Diuina autem natura est intellectualem per summam actualitatem intellectualem. Vnde manifeste concluditur, ipsam actualem intellectiōem esse quasi formale constitutum illius naturæ. Ostendimus autem, Verbo diuino formalissime comunicari intellectiōem ipsam, vt intellectio est eo ipso, quod per intellectiōem producit, tanquam Verbum. Ergo ex eodem principio recte concludimus formaliter etiam comunicari ipsi naturam illam secundum propriam rationem formalem talis essentiæ, & naturæ ex vi suæ processionis.

Quoad aliam vero partem ex hoc sufficienter declaratur discursus factus, quod amor ex ratione sua est, tanquam quid consequens intellectiōem. Sicut in vniuersum appetitus consequitur esse rei, & ideo formaliter non censetur constituitur naturam rei, sed illam constitutam comitari. Quod vero hoc etiam locum habeat in Deo, non obstante identitate inter diuina attributa, varijs modis explicare possumus. Primo ex ipsis processionibus, vt supra in simili argumentabamur. Nam hæc prioritas rationis cum fundamento in re sufficit, vt processio per intellectum prior sit origine, ergo etiam sufficit, vt intelligamus, intellectiōem esse primam rationem formaliter constituentem illam naturam, amorem vero esse quasi consequentem: licet propter perfectiōem, & simplicitatem illius naturæ ab illa non distinguatur. Secundo, quia hoc modo vere assignamus in Deo vnum attributum tanquam rationem alterius, adeo vt hæc causalis vera censetur, Quia Deus intellectualis est, ideo amat, in vnaquaque autem natura illud censetur esse maxime essentialis, quod est veluti primum, ante quod non intelligitur talis natura in suo particulari esse constituta, & quod est veluti radix, aut ratio cæterorum, ita vero se habent illa duo attributa in presenti.

Quod potest tertio declarari ex attributo Omnipotentia (nam ad hæc tria omnia diuina attributa particularia, & posteriora reducuntur) Omnipotentia enim vt sic, non censetur formaliter constituitur essentiam Dei, maxime quatenus videtur inuolueri habitudinem ad extrinsecam, nam quia Deus est ipsum esse per essentiam, ideo quasi consequenter habet, vt possit ad extra se communicare, ita ergo in presenti facile intelligi potest. Occurrit tamen hic notanda differentia inter Omnipotentiam, & amorem, quia Omnipotentia habet suum quasi obiectum ad æquatum solum extra Deum, & ideo secundum illam non est processio intra Deum. Amor vero (sicut & intellectio) habet suum proprium obiectum intra Deum ipsum, & ideo secunditas illius amoris est, vt sit principium quo persona per illum amorem non producta, intra Deum producat subsistentem amorem personam distinctam. Vnde processio illa ideo non est generatio, quia non est per modum naturæ, sed amoris, est tamen productio Dei, quia est intra Deum ipsum.

Et iuxta rationem hanc potest exponi, quod multi Theologi dixerunt, Verbum esse Filium, quia procedit per modum naturæ, Spiritum sanctum autem non esse Filium, quia procedit per modum voluntatis. Ita Alexander Aletensis i. parte, quæstio. 43. membr. 1. circa finem, Bonauentura in i. distinctiōe. 13. art. 1. q. 2. ad 1. & ibi Richardus ar. 1. quæst. 3. Quod ipsi amplius non explicarunt, non potest tamen habere aliud congruum sensum, Nam procedere per modum naturæ, significare potest idem, quod procedere respectu nature, & hoc tam conuenit Spiritui sancto, quam Filio, vt supra ostendimus, vel significare potest procedere, non per actum immanentem, sed ex immanente emanatione naturæ, vt alias dicebat Durandus, & hoc

& hoc nec Filio, nec Spiritui S. conuenire potest. Ergo solum in sensu à nobis declarato potest illa sententia verè intelligi. Et ideo illi auctores non distinguunt processionem per modum naturæ, & per modum intellectus, quia modus intellectus est, quasi constitutiuus illius naturæ.

20. *Rationes Augustini.*
Et fortasse hoc idem voluit Augustinus 5. de Trinitate. capit. 14. cum dixit, *Verbum esse Filium, quia procedit, vt natum, Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit, vt datum.* Quem imitatur Hugo de sancto Victore in summa sententiarum tractat. 1. capit. 7. Vt enim illa verba non coincidunt cum assertione ipsa, non videntur posse in alio sensu explicari. Aliam rationem habet idem Augustinus 15. de Trinitate capit. 26. & 27. scilicet *Verbum esse Filium, quia procedit ab vna persona, Spiritum sanctum non esse, quia à duabus.* Quam etiam habet Anselmus in Monolog. capit. 53. Est tamen difficilis, vt iterum dicam capit. sequenti. Durandus verò in 1. distinctione 4. quæstione 1. & distinct. 6. quæst. etiam illam videtur accommodare ad superiorem. Quia quod procedit ab vna persona, procedit per modum naturæ, quod verò à duabus per modum voluntatis: ipse verò hoc explicat modo potius metaphoricò: ipse proprio, nam procedit ex falso principio circa has emanationes, quod, scilicet, non sint per intellectum, & voluntatem. Denique Athanasius in epistola ad Serapionem Episcopum dicit, Spiritum sanctum non esse Filium, quia diuina natura per vnã generationem, perfectissime, & totaliter communicatur, & ideo generatio in Deo multiplicari non potest: nam in humanis ideo multiplicatur, quia per vnã generationem non tota natura, sed pars naturæ communicatur. Ad quam rationem reuocandum est, quod Basilus dixit 5. contra Eunomium capit. 12. Spiritum sanctum non dici Filium, ne, si duo Filij in Trinitate admitterentur, in infinitum multiplicari posse videantur. Illa verò ratio, vt sit efficax, intelligenda est formaliter de communicatione naturæ, vt natura est, nam alias probaret non esse in Deo, nisi vnã processionem substantialem. Denique non est alienus ab hac sententia D. Thom. dicta quæst. 27. artic. 2. probans, Verbum esse Filium, quia intelligere est esse Dei, & in quæst. 35. probans, esse imaginem, quia procedit simile in forma Dei. Neque contra dictam sententiam occurrit difficultas alicuius momenti.

CAPVT VI.

Cur Spiritus sanctus non procedat, vt Patris & Filij imago.

1. *Ratio dubitandi.*
Ratio dubitandi est, quia Spiritus S. procedit à Patre, & Filio, & est æque similis illis, ac Filius Patri, quia similitudo hæc attenditur ex vnitæ naturæ, in qua tam sunt vnus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sicut Filius, & Pater, ergo tota ratio imaginis superius assignata in Spiritum sanctum conuenit. Propter quam rationem Patres Græci, vt D. Thom. notauit, absolute vocant Spiritum S. imaginem Filij, vt patet ex Athanasio epistola ad Serapionem Episcopum post medium, Basilio lib. 5. contra Eunomium cap. 12. & lib. de Spiritu sancto, Damasceno lib. 1. de Fide, cap. 18. & (quod amplius est) Gregorius Nyssenus in vita Gregorij Thaumaturgi refert, hunc Gregorium ex diuina reuelatione accepisse quoddam symbolum fidei, quod per traditionem perpetuam in eius Ecclesia retentum est: in quo Spiritus sanctus vocatur imago Filij. Et ex Scholasticis Aureolus in 1. dist. 27. q. 2. in hanc sententiam inclinat, & Durandus ibidem, eo modo in quo imago esse potest in diuinis personis, dicit, æque proprie conuenire Spiritui S. quam per accommodationem approprietur Filio.

Suarez: de Deo trinuno.

Nihilominus dicendum est, Spiritum S. non esse imaginem Patris, aut Filij, ac proinde in Trinitate solum diuinum Verbum esse proprie imaginem. Ita docet D. Thom. dict. q. 35. art. 2. & consentiunt reliqui Scholastici citati in superiori lib. cap. vlt. Patres etiam, quos ibidem retuli, præsertim Augustinus & Ambrosius imò & Athanasius in illis prioribus locis ita loquuntur. Idem sentit Anselmus in Monol. c. 37. & sequentibus Rupertus lib. 2. de Trin. c. 2. & Richardus de S. Victor. lib. 6. de Trinit. c. 19.

Hæc verò assertio non est tam certa, sicut altera capitis precedentis, nam illa nititur testimonijs positiuis Scripturæ, hic verò solum habemus ex Scriptura argumentum negatiuum. Nam Filius sæpius vocatur imago, at Spiritus S. nunquam, ergo signum est, illud esse proprium Filij. Quod argumentum licet absolute non sit efficax, tamen quando prior assertio est frequens, & alterius nullum indicium datur, est magna coniectura, maxime antecedente interpretatione Patrum. Addere etiam possumus positiuum argumentum ex Scriptura sumptum media assertione capitis precedentis, qui si Spiritus sanctus est propria imago, vix intelligi potest, cur non sit etiam Filius, constat autem ex Scriptura Spiritum sanctum non esse secundum Filium, ergo nec imago est.

4. *Ratio.*
Rationem autem huius veritatis reddere, & solvere dubium propositum difficile est. Richardus de S. Victore supra, quem D. Bonaventura imitatur, ait, Spiritum sanctum non esse imaginem, quia non procedit ita similis Patri, sicut Verbum, nam Verbum procedit à Patre cum virtute producendi ad intra, non autem Spiritus sanctus. Hanc verò rationem merito refellit sanctus Thomas, quia similitudo inter diuinas personas non est attendenda secundum proprietates notionales, alioqui nec Verbum ipsum esset perfecta imago Patris, quia in relatione Filiationis non procedit illi similis, neque accipit à Patre virtutem generandi, virtus autem spirandi notionem inuoluit, ergo, quod sub ea ratione Spiritus S. non accipiat illam, non excludit ab illo perfectam similitudinem, ergo nec rationem imaginis. Et confirmo hoc amplius, nam in virtute spirandi duo includuntur. Vnum formaliter, quod est essentia, & voluntas diuina, & quoad hoc ita communicatur Spiritui S. sicut Filio. Aliud de connotato, quod est proprietates aliqua prior origine Spiritu sancto, & hanc quidem accipit Filius, non tamen omnino similem proprietati Patris, sed solum quoad illam proprietatem originis, nam talis proprietates in Filio est Filiationis, & in Patre Paternitas, vt supra dixi, quia relatio spirationis actiue non pertinet ad virtutem spirandi, sed consequitur productionem Spiritus S. ergo etiam in illa virtute non est inter Patrem, & Filium specialis similitudo, quæ ad rationem imaginis quicquam conferat.

5. *Ratio.*
Aliter ergo Rupertus supra responderi Filium esse imaginem, Spiritum sanctum autem esse solum similitudinem, quia imago vnus est, similitudo verò potest esse plurium: Filius autem procedit ab vno, Spiritus sanctus à duobus. In qua ratione videtur Rupertus insinuare, imaginem præter similitudinem dicere imitationem, quæ vnus tantum esse videtur, & non plurium. Sed aduertere oportet, Spiritum S. procedere à Patre, & Filio, vt ab vno principio. Et ita esse similem illis, non vt sunt duo, sed vt sunt vnus, hoc autem modo non repugnat, imaginem esse plurium materialiter (vt sic dicam) formaliter autem, quatenus vnus sunt. Nam etiam in creaturis, si ponamus duos homines omninò similes in facie, posset optime depingi vna imago ex intentione representandi vtrumque, quæ vere esset vtriusque imago artificialis, quia vtrique esset similis, & ab vtroque procederet, vt ab obiecto cognito: ergo similitudo, in presenti cum maiori vnitæ, & perfectione.